HERMANNUS von der Hardt

Lectori S.

STEPHANI DE PRAGA latus ut in Concilio ita & in hac Concilii Historia claudit *Mauritius de Praga*. Solennis *Mauritii Oratio, in Constantiensi Concilio habita*, ejusdem argumenti, nec minoris ponderis, ac *Stephani*. Tantoque omnino videbitur sincerior in his orationibus affectus, in *cleri emendationem* collimans, quanto est manifestius, clarissimos hos viros ejusdem fuisse ordinis, utpote sacræ professionis. Ut *sui ordinis homines*, non alterius fori, isthac tempestate penetranti Concilii universalis ope *emendatos cuperent*.

Clarissimus hic Theologus, *Mauritius de Praga, ad primitivæ Ecclesiæ formam*, primasque sanctiones Ecclesiasticas, adaptare suasit *reformationem Ecclesiastici status* Constantiæ quæsitam. *Causas* verò dissidii Ecclesiastici in concilio componendi *arrogantiam* perstringit ac *simoniam*. Qui fontes ceterorum in Ecclesia malorum extiterant. *Bonarum literarum culturam* in clero sui temporis vehementer desideravit. *Probitatem* denique majorem Ecclesiasticis personis commendavit. Opem Concilii in his rebus omnibus serio imploravit.

Debemus & hoc *præclarum antiquitatis monumentum AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSI*. In pretiosissimo quippe *Dorriano Codice MSCto, fol.* 207. nobile hoc opusculum consignatum deprehendimus.

Ceterum, ut tanto major his rebus affundatur lux, ac tota *facies Ecclesiæ illius temporis* clarissime ob oculos ponatur, veritate *plurium testimonio* roboratâ: Non ingratum posteritati fore confidimus, si consonam addiderimus aliam *Petri de Bruxellis Orationem*, illa fere ætate de grandi illo *Simoniæ vitio* habitam, quæ in eodem *Codice MSCto Vindobonensi f.* 147. est asservata.

Etsi verò definire haud sustineamus, integrane sit oratio, & quo anno sermonem hunchabuerit *Petrus de Bruxellis*, & an ipsius Concilii celebritatem attigerit: Sufficere tamen credimus, seculi illius faciem, *Simonia* maculatam, hinc quoq; cognovisse plenius.